Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Friedrich Fischer

Supplementorum Commentarii Ioh. Vorstii De Hebraismis Novi Testamenti

Specimen 2 : Oratiunculis Latinis Tribus In Schola Thomana : A. D. IIII. Idus Maias A. C. MDCCLXXXXI ; Hora VIIII. Matutina Habendis Praemissum

Lipsiae: Sommer, [1791]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn820173495

Band (Druck) Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn820173495/phys_0001
DFG

I. c. 1107

I. c. 1107. 1. 2. 3

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn820173495/phys_0002
DFG

SVPPLEMENTORVM

COMMENTARII IOH. VORSTII

DE

HEBRAISMIS NOVI TESTAMENTI

SPECIMEN SECVNDVM

ORATIVNCVLIS LATINIS TRIBVS

IN SCHOLA THOMANA

A. D. IIII. IDVS MAIAS A. C. CIↃIↃCCLXXXXXI

HORA VIIII. MATVTINA

HABENDIS

PRAEMISSVM

AB

RECTORE CAETERISQVE MAGISTRIS

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn820173495/phys_0005
DFG

Q. B. V.

Conati ſumus docere nuper, atque demonſtrare, Lucam in commentariis rerum Apoſtolorum [1] nomine τήρησις de *carcere*, atque vinculis, propterea vſum eſſe, quod ſciret, Iudaeos aetatis ſuae nomen מַטָּרָה, quod primam, et propriam, notionem cum nomine Graeco communem haberet, ita in vita communi, et cotidiana conſuetudine, vſurpaſſe. Sed praeter hoc nomen in libris Noui Teſtamenti diuinis inueniuntur plura eiuſdem notae nomina vtriuſque generis alia: quae quum praetermiſſa ab Ioh. Vorſtio, neque notata, eſſe videamus, ea nunc, pro inſtituti noſtri ratione, proponere deinceps, atque paulo diligentius explicare, vt aliorum huius lite-

 rarum

1. C. 4, 3. 5, 18.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn820173495/phys_0007
DFG

rarum generis vſu, et exercitatione, tironum, ita noſtrae in primis diſciplinae alumnorum, cauſſa, aggrediemur.

Etenim nomen appellatiuum νύμφη in Graecorum quidem ſcriptorum libris duplici maxime poteſtate praeditum legitur. Proprie enim eo ſignificari conſtat, etiam grammaticis antiquis auctoribus [2], *ſponſam*, et *nouam nuptam*: et quum Chaldaeis placuiſſet, vt verba Graeca alia, ita hoc quoque vocabulum ſuam in linguam, tanquam in ciuitatem, recipere: mirandum profecto non eſt, nomini נִמְפֵי, vel נִנְפֵי, in ſermone eorum illam ipſam notionem reperiri ſubiectam [3]. Sed Graeci, qui nec nomini νυμφίος, quo ipſo proprie *ſponſum*, et *nouum nuptum*, indicari nouimus, hanc tribuere vim dubitaſſent, vt omnino *maritum*, et *coniugem*, ſignificaret, etiam vocabulum νύμφη de *marita*, et *vxore*, vſurpare inſtituerunt, in primis poëtae [4]. Has autem notiones nominis νύμφη duas ab

2. Heſychius, et ex eo Phauorinus: Νύμφη· ἡ νεωστὶ γαμηθεῖσα. Suidas v. νύμφαι· — καὶ αἱ νεόγαμοι κόραι, νύμφαι. Idem: Νύμφη· — καὶ ἡ νεόγαμος γυνή. Pollux 3, 34. καὶ μνηστὴ ἡ νύμφη· ibid. 35. ἐπὶ δὲ τῶν γάμων, ὁ μὲν ἐπὶ τῇ κόρῃ, νυμφίος· ἡ δὲ ἐκείνῳ, νύμφη. add. ſchol. Eurip. ad Hecub. 323., et ex eo Phauorinus v. νυμφίος. Gloſſ. vett. Νύμφη *Marita, noua nupta.* Atque ſic legitur hoc nomen pro Hebr. בְּתוּלָה in verſione ſeptuagintauirali Ioël. 1, 8., vbi tamen pro θρήνησον πρός με ὑπὲρ νύμφην περιεζωσμένην reſcribendum videtur θρήνησον ὥσπερ νύμφη περιεζωσμένη, ita, vt verba πρός με aduenticia ponantur, quae Aquilan habeant auctorem, qui pro אֵלַי legerit אֲלֵי.

3. Cant. 4, 8. 9. 10. 11. 12.

4. Heſychius: Νυμφίον, καὶ νύμφην, πάντα τὸν γήμαντα, καὶ παιδοποιησάμενον, κἂν πολυχρόνιος ᾖ. Vid. Eurip. Alceſt. 746. Phoeniſſ. 138. Theocrit. Idyl. 17, 129.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn820173495/phys_0008
DFG

ab scriptoribus Noui Testamenti tertia auctas esse, eaque noua, et probis Graecitatis auctoribus, quorum monumenta ad nostram peruenerint aetatem, quod sciam, incognita, videmus. Matthaeus [5] enim, atque Lucas [6], qui scirent, sponsam in lingua Hebraeorum vetere, et noua, quod os velata ad sponsum ita accederet, vt hoc postea velamine, tanquam insigni matrimonii, vteretur, כַּלָּה appellari, neque ignorarent, hoc ipsum vocabulum in eadem lingua ad nomina חָם, et חֲמוֹת, ita referri, vt *nurum* significaret [7], nomini Graeco νύμφη, quod viderent propriam notionem cum Hebraico nomine כַּלָּה communem habere, praeeuntibus septuaginta librorum Veteris Testamenti interpretibus, has imponere non dubitarunt partes, vt ad nomina πενθερὰ, et πενθερὸς, ita spectaret, vt declararet idem, quod nomina νυὸς, et ἐννυὸς, quae proprie de nuru vsurpata esse constat, sic, vt ad vocabula ἑκυρὸς, et ἑκυρὰ, pertinerent [8]. Atque hunc vocabuli νύμφη significatum, non domesticum ponendum esse, sed peregrinum, hoc est, ex lingua Hebraica adsci-

 tum,

5. C. 10, 35.

6. C. 12, 53.

7. Vid. Gen. 38, 11. coll. v. 13. 1. Sam. 4, 19. Mich. 7, 6. Ruth. 2, 20. coll. v. 19.

8. Pollux 3, 32. Ἡ μὲν ἔν γεγαμημένη νύμφη καλεῖται τῇ τοῦ γήμαντος μητρὶ, καὶ τῷ πατρὶ, καὶ ἐννυός· ἔτοι δὲ τῇ νύμφῃ ἑκυρός, καὶ ἑκυρά. Ita enim interpungi videntur debere ista verba; sed nescio, an librarii tum existimandi sint ante verba καὶ ἐννυὸς omisisse nomen νυός. Hesychius: Νυός· νύμφη γεγαμημένη τοῖς τοῦ γήμαντος οἰκείοις. Nam νύμφη dicitur etiam *puella* nubilis, *virgo*. vid. Eurip. Phoenissa. 594. Eustathius ad Il. ζ' p. 648. 53. Ἰσέον δὲ, ὅτι ἐν τοῖς τοῦ Ἀριστοφάνους τοῦ γραμματικοῦ Συγγενικοῖς εὕρηταί τις διαφορὰ τοῦ ἑκυρὸς, καὶ πενθεροῦ. Φησὶ γὰρ, ὡς πενθερὸς ὁ τῆς

tum, Ioh. Cocceius perite iam, et scienter, animaduertit [9]. Etsi enim Iosephus, diligentissimus, Graeceque doctissimus, scriptor, in libris Archaeologiae Iudaicae nurus Naamidis, viduae Elimelechi, νύμφας nominasse reperitur [10], quas e Graeca quidem ratione νυὸς dicere debuisset: eum tamen non nescio puritatis Graecae non semper fuisse ita studiosum, quin contaminarit interdum orationem verbis peregrinis, hoc est, iis, quibus notiones, non Graecae, verum Hebraicae, essent subiectae. Quod quidem vitium quis non ferendum facile esse censeat in homine, et vsu loquendi linguae patriae, et lectione versionis librorum Veteris Testamenti septuagintauiralis, assueto *? Certe iureconsulti, aliique scriptores, recentiores, consuetudinem dialecti Alexandrinae notis peregrinitatis non paucis insignitae sequuti, ipsi quoque *nurus* appellasse νύμφας inueniuntur [11].

Iam

ὁ τῆς γυναικὸς πατὴρ τῷ γυμφίῳ, καὶ πενθερὰ ἡ μήτηρ, ἑκυρὸς δὲ ὁ τοῦ ἀνδρὸς πατὴρ τῇ νύμφῃ, καὶ ἑκυρὰ ἡ μήτηρ. — Ἀλλ' ὁ αὐτὸς γραμματικός φησιν, ὅτι νυὸς ὡς ἐπὶ πλεῖσον υἱᾷ γυνὴ τῷ πατρὶ, καὶ τῇ μητρί.

9. Lex. Hebr. v. כַּלָּה.

10. 5, 11. p. 144. Basil. 5, 9. 1. Hauerc.

* Vid. Prolusſ. de vitiis Lexicorum N. T. 31, 4. p. 703.

11. Theophilus paraphr. Institutt. 1. tit. 10, 6. p. 99. s. Reit. Οἷον, ἀδύναμαι ἐγὼ λαβεῖν τὴν ἐμὴν προγόνην, ἢ νύμφην, ἐπειδὴ θυγατέρων τάξιν ἔχεσι· καὶ νύμφη μέν ἐστιν ἡ τοῦ υἱᾷ γαμετὴ, προγόνη δὲ ἡ τῆς ἐμῆς γυναικὸς θυγάτηρ. add. Casaubonus lect. Theocritt. c. 22. Hesychius: Νυοί· νύμφαι. Glosſ. vett. Νύμφη *Nurus*. Glossa ipsa e commentariis Lucae, c. 12, 53., petita, sed glossema e versione eorum Latina vetere sumtum, videtur. Phavorinus: Νυός· ὄνομα συγγενικὸν, ὅ ἐστι νύμφη· quae sunt verba Eustathii ad Il. γ' p. 382. 16. Rom. De *vxore* nomen νυὸς legitur apud Theocrit. Idyl. 18, 15.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn820173495/phys_0010
DFG

Iam seditionum, et bellorum, diuturnorum in primis, grauiumque, comitem certam esse nouimus caritatem annonae, quam fere fames sequatur, cuius crudelitas corpora mortalium repentinis pestilentiae contagiis correpta vexet, atque absumat. Quamobrem, non solum Graeci scriptores nomina λιμὸς, et λοιμὸς, non raro coniunxere [12], sed etiam librorum sacrorum Veteris Testamenti auctores multis in locis nomini דֶּבֶר vocabula רָעָב, et רֶבֶר, addiderunt [13]. His autem in locis, aliisque [14], quibus nomen רֶבֶר legitur, Alexandrini Iudaei illud, non vocabulo λοιμὸς, quo caeteri librorum diuinorum alterius aetatis interpretes [15], et cum iis Matthaeus [16], atque Lucas [17], in commentariis dictorum, et factorum, Christi, vsi sunt, sed nomine θάνατος, explicarunt. Atque hanc loquendi consuetudinem sequutum Iohannem in loco Apocalypseos quodam [18] nomina ῥομφαία, et λιμὸς, et θάνατος, ita inter se copulasse, vt vocabulo θάνατος *pestis* significaretur, quis magnopere mirandum putet, quum hic ipse Apostolus, et alio in loco eiusdem libri [19] idem nomen partes vocabuli λοιμὸς agere iussisse videatur Gro-

12. Vid. Hesiod. Ἔργ. 243. Herodo. 7, 171.
13. Vid. Ezech. 5, 12. 6, 11. 7, 15. 12, 16. Ierem. 14, 12. 21, 7. 24, 10. 27, 8. 29, 17. 32, 24. 34, 17. 2. Parall. 20, 9.
14. Vid. Ex. 5, 3. 9, 3. Leuit. 26, 25. 2. Sam. 24, 13. 15. 1. Regg. 8, 37.
15. Aqu. Sym. Ex. 5, 3. 9, 3. 15. Aqu. Deut. 28, 21. Sym. Ps. 91, 6. add. Ier. 27, 8. 28, 8. 32, 24. Vid. Proluf. 16, 2. de vitiis Lexicorum N. T. p. 385.
16. C. 24, 7.
17. C. 21, 11.
18. C. 6, 8.
19. C. 2, 23. coll. Ier. 18, 21.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn820173495/phys_0011
DFG

Grotio, et isto in primis in loco vix dubitari possit quin respexerit ad locum oraculorum Ezechielis aliquem [20], vbi nomen Hebraicum דֶּבֶר in versione septuagintauirali vocabulo Graeco θάνατος expressum esse sciret? Scilicet quum hoc nomen in scriptis ipsorum Graecitatis auctorum nusquam, quod ego quidem meminerim, ista praeditum potestate compareat: eam sane in promtu est peregrinam, atque aliunde arcessitam, poni oportere. id quod Fullerus [21] iam, et Grotius [22], et Keuchenius [23], pro egregia sua huius literarum generis peritia, praeclare viderunt. Atqui orientis ciuitates quum expertae nossent, crudelitatem pestilentiae fere esse tantam, vt mortem hominibus quoque certissimam afferret: sapienter profecto instituerunt nomen מָוֶת, per genus metonymiae illud, quod verba effecti pro verbis caussae substituit, ita vsurpare, vt *pestilentiam* significaret: quemadmodum pestis saeuiens, et grassans, in Francogallica lingua *la mortalité*, et in sermone theotisco *das Sterben*, vocatur. Quo quidem in genere Grotio [24] Hebraei veteres videbantur caeteris Asiae populis principes, atque duces, ita praeiuisse, vt Chaldaei in primis, atque Syri, vestigia eorum sequuti repe-

20. C. 14, 21. add. c. 5, 12.

21. Miscell. theologg. I, 7. p. 50. Oxon.

22. ad Matth. 24, 7.

23. ad Apoc. 6, 8.

24. ad Matth. 24, 7. Putabat enim, nomen מָוֶת de *pestilentia* vsurpatum legi Ier. 9, 20. 18, 21. Vid. Proluf. 16, 2. de vitiis Lexicorum N. T. p. 387.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn820173495/phys_0012
DFG

reperirentur. Certe in verſionibus Chaldaicis [25], et Syriacis [26], librorum ſacrorum pro vocabulo Hebraeo דֶּבֶר, et Graeco λοιμὸς, nomina מוֹת et מוֹתָא, ܡܘܬܐ, et ܡܘܬܐ, ſubſtituta conſpiciuntur. Iudaei igitur Alexandrini, qui viderent, *peſtem* in lingua aetatis ſuae patria, non דֶּבֶר, ſed מוֹת, et מוֹתָא, appellari, hoc vſu loquendi gentilium ſuorum adducti, eodem in genere, non vocabulum λοιμὸς, ſed nomen θάνατος, vſurpandum ſibi cenſuere [27], praeſertim quum huic nomini cum nomine Chaldaico מוֹת non neſcirent eam intercedere neceſſitudinem, et coniunctionem, vt primus vtriuſque vocabuli, atque proprius, ſignificatus eſſet communis. Iohannem vero Apoſtolum, qui nec Syrorum rationem hac in re noſſet ab ratione Chaldaeorum abhorrere, reprehendendum eſſe arbitrabimur, quod ſeptuaginta librorum alterius Teſtamenti interpretes duces ſequutus *peſtilentiam* θάνατον, neque λοιμὸν, dixerit?

Et miracula quidem, quae ab Ieſu, et Apoſtolis, aliiſque Chriſtianis, primis ab reditu Ieſu e terra in caelum annis, facta eſſe perhibentur, quo inſolentia eorum, atque nouitate, incredibili veritas doctrinae Chriſtianae, et

25. Onquel. Ex. 5, 3. 9, 3. Ionath. 2. Sam. 24, 13. 15. 1. Regg. 8, 37. Conf. Proluſ. 16, 2. de vitiis Lexicorum N. T. p. 387.

26. Pſ. 78, 50. Matth. 24, 7. Luc. 21, 11.

27. Ex. 9, 3. pro θάνατος μέγας cod. Oxon. habet λοιμὸς μέγας· ſed λοιμὸς nomen aduenticium eſt, atque alienum, hoc eſt, e verſione Symmachi, aut Aquilae, ſumtum. vid. not. 15. et Proluſ. 16, 2. de vitiis Lexicorum N. T. p. 385. ſ.

et grauitas, plane confirmaretur, atque sic, vt labefactari a nemine vllo modo posset, nominari ab scriptoribus Noui Testamenti, e Graeca ratione, recte θαύματα poterant. Sed quia ea miracula, quae essent potentiae diuinae documenta maxima, et grauissima argumenta, ab Hebraeis גְּבוּרוֹת [28], et a Chaldaeis גְּבוּרָן [29], dicta reperiuntur; quia Euangelistas, et Apostolos, apparet non ignorasse, nomen Hebraicum גְּבוּרָה, et Graecum δύναμις, proprie de *potentia* vsurpari: idcirco placuisse iis miracula, quae scirent a Iesu, aliisque hominibus, qui doctrinae Christianae fuissent, vel interpretes, vel alumni, diuinitus facta esse, potissimum δυνάμεις [30] ita appellare, vt ea etiam ab *prodigiis*, et portentis, מוֹפְתִים, et a *monstris*, σημείοις, אוֹתוֹת, et נִסִּין, distinxerint [31], quis miretur? praesertim quum in sermone Graeco ipso nullum reperiretur vocabulum singulare, quo significari eiusmodi miracula, quae essent diuinae potentiae indices, testesque, possent. Etenim quum potentia dei intellegatur esse tanta, vt mortalium potentiam etiam maximam quam longissime superet, ita, vt sola appareat hoc nomine digna: sapienter sane recentiores Iudaei instituerunt deum ipsum

28. Vid. Deut. 3, 24.

29. Vid. Ionath. 1. Sam. 2, 4. Hos. 2, 14. 7, 4.

30. Vid. Matth. 7, 22. 11, 20. 21, 23. 13, 54.: coll. Marc. 6, 2.: 58. 14, 2. Marc. 6, 5. 14.: vbi v. Beza: coll. Gall. 3, 5.: 9, 39. Luc. 10, 13. 19, 37. Actt. 19, 11. 1. Corr. 12, 10.

31. Vid. Actt. 2, 22. 6, 8. 8, 13. 2. Corr. 12, 12. Hebr. 2, 4.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn820173495/phys_0014
DFG

ipsum nomine הַגְּבוּרָה appellare [32], quod idem valeret, quod vocabulum הַגִּבּוֹר [33], et verba מָרֵי גְּבוּרָתָא [34]. Hoc vero in genere, quis dubitet, quin illi exemplum, atque auctoritatem, Hebraeorum veterum sequuti sint? Certe Matthaeus [35], et Marcus [36], cui non videantur consuetudine loquendi Iudaeorum suae aetatis inuitati deum τὴν δύναμιν, hoc est, τὸν δυνατὸν, siue τὸν παντοδυνάςην [37], aut τὸν παντοδύναμον [38], dixisse? in primis quum primam, et propriam, nominis Hebraici הַגְּבוּרָה notionem viderent a propria, et prima, notione Graeci vocabuli ἡ δύναμις haud discrepare. Sic enim accipiendum esse nomen istud Graecum in commentariis vtriusque Euangelistae, non modo adiecta verba ἐκ δεξιῶν docent, sed etiam Lucas [39] ostendit, qui pro ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως scripsit ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως τοῦ θεοῦ, hoc est, *a dextra dei*, quatenus scilicet potens est: de quo circuitionis genere, quod in Graecam quoque linguam vetustissimam ex Hebraica adscitum fuisse nouimus, alio iam a nobis loco disputatum est [40].

32. Vid. Buxtorfius Lex. Talmud. v. גְּבוּרָא.

33. Deut. 10, 17. Nehem. 9, 32. Ier. 32, 18.

34. Targ. Ps. 24, 8.

35. C. 26, 64.

36. C. 14, 62.: ad quem locum Theophylactus notauit haec, δύναμιν γὰρ ἐνταῦθα τὸν πατέρα φησίν.

37. Gloss. vett. Παντοδυνάςης *Omnipotens*. Thesaurus Stephanianus caret hoc vocabulo.

38. Gloss. vett. Παντοδύναμος *Omnipotens*. Legitur hoc vocabulum Sap. 7, 23. 11, 17. 18, 15.

39. C. 22, 69.

40. Prolus. 14. de vitiis Lexicorum N. T. s. 6. p. 359. s.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn820173495/phys_0015
DFG

Iam ii, quorum consilio, et auctoritate, etiam opera, reges, aliique principes, vtuntur in administrandis negotiis, vel publicis, vel priuatis, omnis generis, quos Latini *amicos*, et *familiares*, vocant, etiam a Graecis Φίλοι nominantur [41]. Sed in Matthaei commentariis [42] amici Herodis Antipae, tetrarchae Galilaeae, et Peraeae, παῖδες dicti leguntur. Qui quidem huius nominis significatus, Graecis ipsis ignotus, quin ab vsu vocabuli Hebraici עֲבָדִים, quod propriam notionem cum Graeco nomine communem haberet, profectus sit, dubitari nullo modo potest. Antiquissimis enim temporibus apud Hebraeos domini seruos aluisse videntur maxime propterea, vt opera eorum in faciundo opere rustico vterentur [43]. Certe hac ex re intellegi facile licet, cur serui in lingua Hebraica proprie עֲבָדִים potissimum appellati fuerint: quod tamen nomen postea aliis quoque seruorum generibus ita impositum reperitur, vt translatum sit etiam ad homines ingenuos, qui regibus, aliisque ciuitatum principibus, ita apparerent, atque operam darent, vt ipsos virtute sua in procurandis rebus, vel publicis, vel domesticis, adiuuarent [44]. Graeci autem seruos etiam παῖδας, vt Latini, exemplo eorum, *pueros*, ratione dominorum, dixere,

41. Vid. Xen. Cyrop. 1, 3. 9. 7, 2. 8.

42. C. 14, 2. Theophylactus ad h. l. τοῖς παισὶ, τετέσι τοῖς δέλοις.

43. Vid. 1. Sam. 8, 16.

44. Vid. Ex. 5, 21. 7, 20. 1. Sam. 18, 22. 26. 2. Sam. 3, 38. 13, 24. Dan. 2, 7.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn820173495/phys_0016
DFG

dixere, non quidem propterea, quod ſerui frugi apud eos ab heris, ſicut a parentibus filii, tractarentur [45], ſed quia primi in Graecia ſerui videntur pueri, atque adoleſcentes, fuiſſe [46]. Matthaeus igitur, quem non fugeret, etiam amicos regum, principumque, ab Hebraeis, et Chaldaeis, et Syris, appellari עַבְדִים, atque עַבְדִין, non dubitauit, praeeuntibus ſeptuaginta librorum alterius Teſtamenti interpretibus [47], eandem tribuere vim Graeco vocabulo παῖδες, cui intercederet cum peregrino illo nomine tanta neceſſitudo, vt vtroque proprie, hoc quidem in genere, *ſerui* ſignificarentur. Neque ſane ex alio fonte ab ſcriptoribus Noui Teſtamenti hauſtus exiſtimandus eſt ſignificatus nominis δοῦλοι in iis locis, quibus Moſes, aliique Prophetae, etiam Apoſtoli, eorumque adiutores, δοῦλοι θεοῦ, δοῦλοι κυρίου, δοῦλοι Ἰησοῦ Χριστοῦ, δοῦλοι κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, et δοῦλοι Χριστοῦ, propterea dicuntur [48], quia deo, et Chriſto, ita miniſtrarunt, atque operam dederunt, vt

 iuſſa

45. Vid. Euſtathius ad Odyſſ. Φ' p. 1907. extr. Rom.

46. Euſtathius ad Il. δ' p. 438. 26. Rom. Φασὶ δὲ οἱ παλαιοὶ, παρθένων ἔργον εἶναι τὸ οἰνοχοεῖν, καὶ ἀνδρῶν δὲ νέων, ὧν καὶ τὸ ὑπηρετεῖν· ὅθεν καὶ παῖδες οἱ δοῦλοι, καὶ παιδίσκαι, διὰ τὸ τῆς παιδικῆς ἡλικίας ὑπηρετητικόν.

47. 1. Sam. 18, 22. 26. 2. Sam. 3, 38. 13, 24. Dan. 2, 7. Sed Eſth. 2, 18. עַבְדִים eleganter vocantur οἱ φίλοι. Nam verba πᾶσι τοῖς φίλοις αὐτοῦ ibi pertinent ad verba לְכָל — עַבְדָיו, et verba καὶ τοῖς δυνάμεσιν reſpondent verbis וְשָׂרָיו. Vulg. *cunctis principibus, et ſeruis, ſuis.* Neque enim huius verborum traiectionis exempla rara ſunt in verſione ſeptuagintauirali. vid. Exod. 1, 7. 7, 28. 10, 25. Pſ. 27, 9.

48. Vid. Act. 16, 17. Romm. 1, 1. Gall. 1, 10. Phill. 1, 1. Coloſſ. 4, 12. 2. Tim. 2, 24. Tit. 1, 1. Iac. 1, 1. 2. Pe. 1, 1. ep. Iud. v. 1. Apoc. 1, 1. 10, 7. 15, 3.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn820173495/phys_0017
DFG

iussa eorum, et praecepta, tanquam interpretes, atque internuntii, ad homines detulerint, eaque, vel ipsi, velut serui frugi, exequuti sint, vel ab aliis obseruanda curarint. Tales enim dei ministros, atque apparitores, in libris Veteris Testamenti עַבְדֵי הָאֱלֹהִים, et עַבְדֵי יְהוָה [49], ac in versione eorum septuagintauirali δούλους τοῦ θεοῦ, et δούλους κυρίου [50], vocari, quis nescit?

Et quia deus dominus est, atque auctor, vnicus fortunae, et sortis, mortalium, vel secundae, et laetae, vel tristis, et aduersae; quia deus hominibus probis, et piis, bona, atque commoda, omnis generis contingere, impiis, atque improbis, genera incommodorum, malorumque omnia accidere, iubet: idcirco vates, et poëtae, Hebraei deum finxisse reperiuntur manu tenentem calicem [51], potione, vel dulci, et salubri, vel pestifera, et amara, plenum, ita, vt nomini כּוֹס etiam genus potionis verbis boni, maliue, propriis expressum subiunxerint [52]; quemadmodum poëtae maxime Graeci huiusmodi verba cum nominibus μοῖρα [53], et αἶσα [54], ita coniunxere, vt elegans quaedam existeret circuitio. Hunc igitur calicem

49. Vid. Deut. 34, 5. Iosu. 1, 1. 2. Regg. 21, 10. Ier. 25, 4. Dan. 9, 10. 11. Amos. 3, 7.

50. Vid. 1. Regg. 8, 56. 2. Regg. 17, 23. 18, 12. 21, 8. 10. Dan. 9, 11.

51. Vid. Ps. 75, 9. Esai. 51, 17. 22. Ier. 25, 17. 51, 7. Habac. 2, 16.

52. Vid. Ps. 116, 13. Esai. 51, 17.: coll. Apoc. 14, 10. 16, 19.: 51, 22. Ezech. 23, 33.

53. Vid. Hom. Il. δ', 170. Odyss. β', 100. Pindar. Isthmm. 5, 19.

54. Vid. Hom. Odyss. τ', 84.

licem, tanquam sortis hominum, et fortunae, symbolum, deus dicitur, velut modimperator, et bibendi arbiter, cuique mortalium tradere ss, vt ex eo, quasi conuiuae, bibant, vt eum ducant, atque exhauriant: et quia potio, quae poculo isto continetur, saltem certa quaedam eius portio, cuique homini assignata esse, atque destinata, intellegitur: propterea calix ipse potu plenus in libris Veteris Testamenti, non modo כּוֹס, sed etiam מְנַת כּוֹס 56, appellatur. Hoc vero vsu loquendi Hebraeorum quis miretur inuitatos Euangelistas nomini ποτήριον, cui proprie nomen Hebraicum כּוֹס ita responderet, vt, non tantum ipsum calicem, sed etiam potum, qui in calice est, indicaret, hanc tribuisse potestatem, vt *sortem aduersam*, omnia incommoda 57, in primisque necem, eamque indignam, et saeuam, significaret, eique eiusmodi verba addidisse, quae in calicem, et potum, proprie ita dictos conuenirent, hoc est, verba διδόναι, παρενέγκειν, παρέρχεσθαι, et πίνειν? Etenim formula τὸ ποτήριον πίνειν de Christo, dei filio, qui, ex decreto patris, necem, salutis hominum caussa, passurus erat, in euangeliis Matthaei 58, et

55. Vid. Ezech. 23, 31. coll. Apoc. 16, 19. add. Pf. 116, 13. Esai. 51, 22. Ier. 25, 17. 28.

56. Vid. Pf. 11, 6.

57. Sic legitur nomen *poculum* apud Plautum Casin. 5, 2. 52. v. Boxhornius ad Plaut. Rudent. 3, 6. 46. Conf. Prolus. 23. de vitiis Lexicorum N. T. s. 2. p. 529.

58. C. 20, 22. Theophylactus ad h. l. p. 84. Rom.: Ποτήριον γὰρ λέγει τὸ μαρτύριον, καὶ τὸν οἰκεῖον θάνατον. Hieronymus ad h. l. p. 29. a To. 9. Opp. Basil.: Calicem *in scripturis diuinis* passionem *intelligimus, iuxta illud*, Pater, si possibile est,

et Marci [59], sic posita legitur, vt declaret, non modo *dandum ad supplicium iniuriis, contumeliisque, grauissimis, atque maximis, affici a barbaris, et Iudaeis*, sed etiam *necem indignissimam pati, supplicium vitae summum, et saeuissimum, ferre:* quod quidem Iohannes [60] Iesum ipsum facit ita dicentem, τὸ ποτήριον, ὃ δέδωκέ μοι ὁ πατὴρ, ἵνα μὴ πίω αὐτό; Sed eandem illam formulam in commentariis eorundem Euangelistarum [61] de Iacobo Apostolo, Zebedaei filio, fratre Iohannis, hoc vsurpatam sensu esse videmus, vt sit ad *supplicium dari*, quippe quum, auctore Luca [62], sciamus, huncce Apostolum imperatoris Claudii saeculo, auctoritate, et iussu, Herodis Agrippae, filii Aristobuli, Herodis magni nepotis, esse gladio interfectum: et quum Iohannes ipse ab imperatore Domitiano in exilium pulsus esse perhibeatur in insulam Patmum, ex quo, Neruae temporibus, restitutus, tandem Traiani aetate defunctus sit sua morte Ephesi [63]: facile apparet, eum τὸ

transeat a me calix iste [Matth. 26, 39.]. *Et in Psalmo* [116, 12. f.], Quid retribuam domino pro omnibus, quae retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen domini inuocabo: *statimque* [v. 15.] *infert, quis iste sit calix*, Pretiosa in conspectu domini mors sanctorum eius.

59. C. 10, 38. f. Victor, presbyter Antiochensis, ad h. l. p. 201. To. I.: Ὑμεῖς μὲν γὰρ περὶ τιμῆς ἀξιεῖτε· ἐγὼ δὲ περὶ ἀγώνων ὑμῖν, καὶ ἰδρώτων, διαλέγομαι. Οὐ γὰρ ἔξιν ἔτος ὁ τῶν ἐπάθλων καιρὸς, ἀλλὰ σφαγῆς, καὶ πολέμου, καὶ κινδύνων.

60. C. 18, 11. Theophylactus ad h. l. p. 553. Rom.: Καὶ τὸ εἰπεῖν δὲ τὸ ποτήριον, τὸ ἡδὺ καὶ ἐπιπόθητον τὸ ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν ἀνθρώπων θανατοῦ αἰνίττεται.

61. Matth. 20, 23. Marc. 10, 39.

62. Actt. 12, 2.

63. Vid. Eusebius H. E. 3, 18. et 23. Theophylactus ad Matth. 20, 23. p. 85. Rom.: Ἰάκωβον μὲν γὰρ Ἡρω-

τὸ ποτήριον πίεσθαι ab Iesu dictum esse, quod esset futurum, vt ipse a barbaris in exilium ageretur, in quo plurimas, atque maximas, omnis generis contumelias, iniuriasque, perferre cogeretur. Voces autem, quas Iesus in horto, qui erat ad Gethsemanen villam, legitur iamiam moriens emisisse ad deum, has, παρελθέτω ἀπ' ἐμοῦ τὸ ποτήριον τοῦτο [64], et παρένεγκε τὸ ποτήριον ἀπ' ἐμοῦ τοῦτο [65], quis non videt hunc intellectum habere, vt filius patrem rogasse existimetur, vellet ab ipsius capite prohibere, et defendere, necis imminentis indignitatem, saevitiamque? Sed haec nunc quidem hactenus.

Sequi-

Ἡρῴδης ἀπέκτεινεν· Ἰωάννην δὲ Τραϊανὸς κατεδίκασε μαρτυρῆναι τῷ λόγῳ τῆς ἀληθείας. Hieronymus ad Matth. 20, 23. p. 29. a To. 9. Opp. Basil: *Quaeritur, quomodo calicem martyrii filii Zebedaei, Iacobus videlicet, et Ioannes, biberint: cum scriptura narret Iacobum tantum Apostolum ab Herode capite truncatum: Ioannes autem propria morte vitam finierit. Sed si legamus ecclesiasticas historias, in quibus fertur, quod et ipse propter martyrium sit missus in feruentis olei dolium, et inde ad suscipiendam coronam Christi athleta processerit, statimque relegatus in Pathmos insulam sit: videbimus, martyrio animum non defuisse, et Ioannem bibisse calicem confessionis, quem et tres pueri in camino ignis biberunt, licet persecutor non fuderit sangui-nem.* add. Christi. Kortholtius de persequut. eccles. primit. 2, 8.

64. Matth. 26, 39. add. v. 42. Theophylactus ad h. l. p. 117. Rom.: Ποτήριον δὲ ὀνομάζει τὸ πάθος. Etymol. M. p. 685. Sylb.: Ποτήριον· — σημαίνει καὶ τὴν τιμωρίαν, ὡς τὸ, Ὅτι ποτήριον ἐν χειρὶ κυρίε [Ps. 75, 9.]· καὶ, ποτήριον σωτηρίε λήψομαι [Ps. 116, 13.]· καὶ τὸν θάνατον, ὡς τὸ, Πάτερ, εἰ δυνατὸν, παρελθέτω ἀπ' ἐμοῦ τὸ ποτήριον τοῦτο [Matth. 26, 39.]. Euthymius Zigabenus Caten. ad Matth. 26, 39. apud Matthaeium Lect. Mosquenss. p. 33. Vol. 1., Εἰπὼν μὲν, ὅτι, εἰ δυνατόν ἐστι, παρελθέτω ἀπ' ἐμοῦ τὸ ποτήριον τοῦτο, ἔδειξε τὴν ἀνθρωπίνην δειλίαν, ποτήριον λέγων τὸ τοῦ θανάτου.

65. Marc. 14, 36. add. Luc. 22, 42.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn820173495/phys_0021
DFG

Sequitur enim, vt significemus Patronis amplissimis scholae Thomanae, et grauissimis Curatoribus, et Fautoribus excellentissimis omnibus, alumnos disciplinae nostrae probos tres, praeclarae spei adolescentes, perendie ante discessum ex ea suum celebraturos esse publice oratiunculis Latinis memoriam nominis *Iob. Aug. Ernestii*, viri summi, et de rebus, rationibusque, ludi nostri incredibiliter meriti. Namque CHRISTI. DAV. SAXIVS, *Lipsiensis*, dicet *de meritis multis, et magnis, quibus doctrina Ernestii Academiam sibi Lipsiensem deuinxit:* HENR LVDOV. CRATANDER, *Dahlenensis*, docebit, *Ernestium iuuenem, et virum, fuisse egregium exemplum rationis, quam sequi, atque tenere, deberent magistri scholarum Graecarum, et Latinarum, omnes in suscipiendis, atque sustinendis, muneribus:* IOH. THEOPHILVS SARCANDER, *Neapoli Nariscus*, demonstrabit, *Ernestium puerum, et adolescentem, fuisse exemplum eximium rationis, qua versari deberent ingenui pueri, et adolescentes, in studiis Graecarum, Latinarumque, literarum, vt sibi fauorem principum ciuitatum comparauerent, aditumque patefacerent ad munera honestissima.* His igitur oratiunculis adolescentium humanissimorum vt adiutores, et fautores, rei Thomanae, pro suo in bonas literas, earumque studiosos, amore, virtutumque, et meritorum in Academiam maxime Lipsiensem, immortalis viri admiratione, interesse beniuoli velint, ab iis ita petimus, vt, non polliceamur, sed spondeamus, studia nostra

ſtra bene merendi de rationibus, et ſalute, diſcipulorum noſtrorum recordatione huius noui fauoris diſciplinae, et inſtitutorum noſtrorum, documenti etiam magis auctum iri, iuuante deo, acriuſque incitatum. Scripſimus in Schola Thomana a. d. VI. Idus Maias A. C CIↃIↃCCLXXXXI

LIPSIAE

EX OFFICINA SOMMERIA

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn820173495/phys_0024
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn820173495/phys_0028
DFG

ldito etiam casu secundo nominis οἶνος [53].
o apud Hebraeos, aliasque ciuitates priscas,
fossa, in quam succus vuarum expressus
eflueret. Haec fossa ab Hebraeis quidem
dicitur [54]: sed septuaginta Veteris Testamenti
am, exemplo Graecorum rei rusticae scrip-
πολήνιον [56], et Latini *lacum vinarium* [57], vel
cum [58], aut *vinarium* *, vocant. Sed quum
t lacus vinarii, tanta esset coniunctio, vt,
ar sine lacu, neque lacus sine torculari, co-
accidisse intellegitur, vt, non modo Chal-
Syri, lacum, et calcatorium, vno, eodem-
ę מעצרתא appellarint, sed etiam Hebraei
יקב fungi nonnunquam vicibus nominis גת
erte in libro Iobi [59] leguntur verba haec,
יקבים, quae in versione Latina vetere sic
iiuntur, *qui, calcatis torcularibus, sitiunt*: cu-
ius

Ληνός. ὅπερ ςαφυ-
vel, vt in Lexico
, ὅπερ αἱ ςαφυλαὶ
ss. vett. Ληνὸς *Tor-*
r, torculare, calca-
R. R. 1, 18. 1.].
dar. 52, 4. Geo-
4. 6, 13. 3.
. f.
.
33.
ponn. 6, 11. 3.

6, 13. 3.

56. Vid. Esai. 16, 10. Ioël. 3, 13. Hag. 2, 17.

57. Colum. R. R. 12, 18. 3. Sed ap. Pallad. R. R. 1, 18. est *lacus, qui ad excipienda vina binc inde depressi sunt.*

58. Vid. Tibul. 2. eleg. 3, 36. et eleg. 5, 86. Ouid. Fastt. 4, 888.
* Gloss vett. Ὑπολήνιον *Vinarius.*

59. c. 24, 11. coll. Esai. 63, 2.